# MONS. NUNZIO GALANTINO – ORDINAZIONE EPISCOPALE



ORDINAZIONE EPISCOPALE

25 FEBBRAIO 2012



*"…saremo giudicati sull'amore"*
(San Giovanni della Croce)

Nunzio Galantino
*Vescovo*

Ordinazione episcopale
Cerignola, 25 febbraio 2012

Inizio del ministero episcopale
Cassano all'Jonio, 10 marzo 2012

*Icona (sec. XIII) di M.SS. Madre di Dio, venerata a Cerignola col titolo di* "Madonna di Ripalta"




BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto Filio Nuntio Galantino, e clero dioecesis Ceriniolensis-Ausculanae, ibique hactenus Parocho paroeciae Sancti Francisci necnon Vicario Episcopali pro Cultura, electo Episcopo Cassanensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum Nostrum officium postulet ut toti Christi Ecclesiae auxilia largiamur, non possumus quin mentem ad populum Cassanensem vertamus, qui, Venerabili Fratre Vincentio Bertolone, S.d.P., suo postremo Pastore, ad Metropolitanam Ecclesiam Catacensem-Squillacensem translato, sacrorum Antistite in praesens indiget. Quamobrem, novum idoneum ei Praesulem quaerentes, ad te, dilecte Fili, oculos Nostros convertimus, utpote virtutes et indoles huic ministerio episcopali congruentes te demonstrare censemus. Accepta igitur sententia Congregationis pro Episcopis, potestatis Nostrae apostolicae ex plenitudine, te, dilecte Fili, nominamus et constituimus Episcopum Cassanensem, tibique simul universa tribuimus iura et onera imponimus quae secum fert idem episcopale munus. Concedimus vero ut episcopalem ordinationem excipere possis extra urbem Romam a quovis catholico Episcopo secundum liturgicas normas. Sed antea fidei professio erit tibi facienda et fidelitatis iusiurandum in Nos et Nostros Successores dandum secundum Ecclesiae leges normasve. Oportet insuper ut de voluntate hac Nostra certiores facias clerum populumque huius communitatis ecclesiasticae, quos adhortamur ut in omnibus te studiose sequantur. Quod ad te, dilecte Fili, attinet, dum subsidium sancti Blasii Episcopi et Martyris, insignis huius dioecesis Patroni, indesinenter exoras, istum gregem tibi concreditum erudias in agnitionem mysterii Christi, ~ in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ~ Col 2,3. Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis Decembris, anno Domini bis millesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.



